


ne & in potentia. Sumo itaque duos numeros nequaquam se habentes in proportio-
 ne aliquorum numerorum quadratorum, sint q̄ hi b & c, quos facile est sumere, cū qui-
 libet quadratus numerus ad quēlibet non quadratum eam habeat proportionē quā
 nequaquā habent aliqui numeri quadrati, confirmante hęc 22 octauī. Duo bus talibus
 numeris sumptis inuenio lineam d, ad cuius quadratum se habeat quadratum lineæ a
 sicut numerus b ad numerum c. Hęc autem lineam ita reperio. Diuido lineam a in tot
 partes æquales quot sunt unitates in numero b, quod facile facio adiuuāte 11 uel 12 sex-
 ti, dehinc super extremitatem lineæ a, erigo lineam e perpēdiculariter, in qua toties cō-
 tineatur una ex partibus a, quoties unitas est in c. Quia igitur ex prima sexti propor-
 tio quadrati lineæ a ad superficiem quæ fit ex a in e est sicut a ad e, & ideo sicut nume-
 ri b ad numerum c: ponatur d medio loco proportionalis inter a
 & e sicut docet 9 sexti. Quia tunc per primam partem 6 eiusdē qua-
 dratum erit æquale superficiēi productæ ex a in e, erit proportio
 quadrati lineæ a ad quadratū lineæ d, sicut numeri b ad numerū c
 quare a & d, sunt cōmēsurabiles in potentia ex diffinitione, & per
 ultimam partem, ipse sunt incommensurabiles in longitudine, re-
 perta est itaque d prima linea, quam propositum erat inquirere.
 Alteram sic reperio Interpono ut docet 9 sexti, lineam f medio lo-
 co proportionalem inter a & d, eritque per correlariū 17 sexti qua-
 dratum a ad quadratum f, sicut a ad d, itaque per secundam partē
 10, quadratum a est incommensurabile quadrato f, igitur linea f est incommensurabilis
 lineæ a in potentia, quare & in longitudine, est itaque f secunda linea quam propositū
 erat reperire, Et sic patet propositum.




Eucl. ex Camp.

propositio 12

Quoniam quatuor linearum proportionalium si prima tanto am-
 plius possit secunda quantum est quadratum alicuius lineæ com-
 munitatis sibi in longitudine, necesse est tertiam quoque tanto
 amplius posse quarta, quantum est quadratum alicuius lineæ communi-
 cantis sibi in longitudine. Quod si fuerit prima potentior secunda quadra-
 to alicuius lineæ incommensurabilis sibi in longitudine, erit quoque tertia
 potentior quarta quadrato alicuius lineæ sibi incommensurabilis in lon-
 gitudine.

CAMPANVS Sint quatuor lineæ proportiōales a, b, c, d, sitque a maior b, & c ma-
 ior d, sit quoque a potentior b, quadrato lineæ e: & c potē-
 tior d, quadrato lineæ f, dico quod si a communicet e in lō-
 gitudine, c quoque cōmunicabit f in longitudine, quod si
 a non communicat e in longitudine, nec c communicabit
 f in longitudine. Quod & si a cōmunicat e in potentia tan-
 tum, c quoque cōmunicabit f in potentia tantū. Verunta-
 men istud ultimum non proponit autor, quia facile patet
 ex priorum demōstratione. Cū sit enim proportio a ad b
 sicut c ad d, erit quadrati a ad quadratū b, sicut quadrati c
 ad quadratū d. Et quia quadratū a est æquale quadratis
 duarum linearum b & e, similiter quadratum c quadratis
 duarum linearum d & f, erit proportio quadratorum duarum linearum b & e ad qua-
 dratum e, sicut quadratorum d & f ad quadratum f, ergo disiūctim erit quadratum b
 ad quadratum e, sicut quadratum d ad quadratum f, ergo b ad e sicut d ad f, item per
 æquam proportionalitatem erit a ad e, sicut c ad f, ergo per primā partem decimæ con-
 stat prima pars huius, & per secundam secunda, & per tertiam ibi adiunctam, tertia
 hic adiuncta.



Quinque præcedentes propositiones ex Campano cum suis addi-
 tionibus, sequētibus septem ex Zamberto cū sibi præmissis lemmatibus
 hoc ordine respondent. Octaua apud Campanum cū additione, duode-
 y cimæ